

Oederi nomenclatura primum est, autorem huius nominis apponas, antequam Oederi tabulam cites, e. g. *Gentiana XI. Clusii. Oe. Dan. F. XVII*, nec *Gentiana XI. Oed. Dan. F. XVII*.

De frustulo Ligni Quassiae gratias ago.

Regenfusii operis pars altera varia Conchylia eadem methodo ac prior continebit. Miror, quod Fabricius non scripserit.

Quid de Kuhnio sperare licet? an Professor Botanicæ Philadelphiae erit? Ego iam vltra dimidium annum eius literas non habui.

Plantas novas non vltra 5 vel 6 heic habuimus, quarum omnium semina TEcum lubentissime communicabimus.

Mitto heic primas paginas Elementorum Botanicorum Oederi, quae eius dispositionem Florae Borealis secundum familias naturales continet. Quam primum iterum occasio per mare erit, totam partem secundam mittam. Noui litterarii heic nil habemus, nisi quod quidam Consiliarius a iustitiis, Medicinæ Doctor, et professor Botanicæ olim in Academia Soroeana, nomine Holm opus certe accuratissimum et pulcherrimum sed et pretiosissimum editurus sit, quod continebit omnis generis Fungos praesertim minimos summo studio delineatos ab initio progerminationis, quantum fieri potest, vsque ad destructionem.

Koenig, qui in Islandia Plantas ad Floram Danicam colligendi causa fuit, iam rediit, et varias plantas secum attulit certe pulcras, quas novas credit. Spero vt et harum semina pauca TIBI mittere possim. Fucorum praeterea magnum numerum nec non aliquot Mollusca et mineralia varia, praesertim Zeolithum et Spathum duplicantem attulit, quae tamen nondum vidi.

Commendes me quæso in gratiam Nobilissimæ D:nae Vxoris et honoratissimæ reliquæ familiae. Valeas diu faustus felix et incolumis, mihiq; semper faueas. Ego, dum viuo, numquam non futurus sum,

TIBI

Hafniae d. XXV. Ianuar.  
1766.

obstrictissimus, deuinctissimus,  
J. Zoëga.